Istituto per il Lessico Intellettuale Europeo e Storia delle Idee
Consiglio Nazionale delle Ricerche
http://www.iliesi.cnr.it
http://www.iliesi.cnr.it/covid19.php

Illness in ConText

parole di filosofia e orientamento nella pandemia

testi e articoli

Johann Andreas Fischer, *Dissertatio inauguralis medica de contagio...*, Erfurt, 1724

Parole chiave: **contagio**

20.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE CONTAGIO,

QVAM

VELIFICANTE NUMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,

VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPH. IGNATIO DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;

GRATIOSA FACULTATE MEDICA

IN HAC PER-ANTIQVA HIERANA INDULGENTE,

SUB PRÆSIDIO

SPECTABILISSIMI DNI. DECANI ET SENIORIS,

DN. D. JOHANNIS ANDREÆ FISCHERI,

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGVNT. PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PVBL. PRIMAR. NEC NON MED. PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI ET PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME OBTINENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SVBMITTET

RESPONDENS

JOACHIMUS HARTMANNUS GOTTSCHALCK,

Mega-Ericensis Schvvartzburgicus.

AD DIEM XX. JANUARII, ANNI MDCCXXIV.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSV.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO GUNTHERO,

PRINCIPI SCHWARZBURGI,

E SACRI ROMANI IMPERII QUATUOR-VIRIS,

COMITI HOHNSTEINII, DYNASTÆ ARNSTADII, SONDERSHUSÆ, LEUTENBERGÆ, LOHRÆ ET CLETTENBERGÆ, reliqua.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM,

Significandi devotissimi animi ergo, & ad sui, studiorumque suorum ulteriorem commendationem humillimam, cum voto sincero perennantis principalis incolumitatis atque felicitatis consecrat, & subjectissima manu offert

PRINCIPALIS SERENITATIS SUÆ

humillimus & addictissimus Cliens

JOACH. HERMANNUS GOTTSCHALCK.

PRÆMONENDA.

INter morbos corpus humanum infeſtantes haud mediocrem attentionem merentur illi, qui in Pathologia *occultarum qualitatum* ſive *totius ſubſtantiæ* appellantur; quippe de his quondam inter Pathologos veteres & modernos magnæ ſunt exortæ lites, & adhuc moventur ab illis, qui cuncta in foro Medico clarè, diſtinctè & perſpicuè demonſtranda eſſe contendunt, autumantes, non decere virum in Arte Medica exercitatum indormire facultatum incomprehenſibilium pulvinari, quin potius ſudare in ſcrutinio cauſarum evidentium. Quicquid ſit, minimum negare non poſſumus, difficilioris judicii quosdam deprehendi morbos, de quibus â priori vix liquidò conſtat, quomodo ſuas in corpore humano ludant tragœdias: Atque in horum cenſu ſunt omnes contagioſi, epidemii, maligni, peſtilentes.

Quod ut plenius pateat, divisionem morborum ab affligendi modo & loco desumtam, ex pathologia huc attulisse juvabit, secundum quam alii *sporadici*, sive *sparsi*, alii *pandemii*, sive *totius plebis* & *vulgo grassantes*, dicuntur: *Sparsi* sunt morbi diversi in hominibus diversis conspicui, separatim singulos comprehendentes, & unumquemque privatim adorientes: *Vulgo grassantes* sunt morbi communes & universales, qui omnes propemodum aut quamplurimos, eodem tempore corripiunt, nullo, vel ætatis, vel sexus, vel sortis, vel eminentioris conditionis, discrimine habito. Atque hoc postremum morborum genus iterum sub se complectitur *endemios* sive *patrios*, vernaculos & ordinarios, quovis anni tempore eundem locum affligentes, plurimosque indigenas utriusque sexus occupantes, & quidem corporum dispositione pravâ, ex loci natura ortâ causam subministrante; nec non *epidemios*, vulgares, populares, per intervalla in aliqua regione grassantes, plurimosque tempore quodam simul invadentes, causa quadam communi, nunc ab aëre, nunc ab alimentis, nunc â fomite intus genito, deducendâ, occasionem præbente. In quo negotio *contagium* plurimum posse exinde constat, quod aptitudo communicandi & in plures derivandi ejusmodi morbos, quam maxime hic requiratur, & conceptum contagii formalem tantum non absolvat; quæ vero aptitudo aëri præcipue inesse per experientiam deprehenditur, per rationes physiologicas confirmatur, & clarissimorum virorum consensu adstruitur: Quippe aërem contagii vehiculum esse, & endemiorum

epi-

epidemiorumque opificem apud *Jul. Palmar. de morb. contagios. cap. 4. p. 368.* & *Wedel. Theorem. Med. P. II. Sect. II. p. 45.* legitur. Id vero differentiæ inter contagium endemiorum & epidemiorum intercedit, quod illud semper continueque, eodemque plane modo, invadere cernatur, prout peculiaris climatis conditio idem semel induxit, juxta *Salmas. L. de ann. climacter. p. 332. & 337.* & morbis chronicis in plures diffundendis, inserviat; cum hoc ex adverso nec semper continueque, nec eodem prorsus modo vim suam exserat, prætereaque circa affectum quendam acutum cum febrili motu conjunctum, in vulgus invehendum, occupetur. Quoniam v. mala ejusmodi epidemia quotannis ferme occurrunt, & Medico cum *contagiis* sæpissime est certandum: Ideoque ego in præsenti, sub auspicio divino, de *contagii in se & separatim spectati naturâ*, cæteroquin satis absconditâ & occultâ, Dissertatione inaugurali agere, viresque meas circa hanc materiam periclitari, apud me constitui. Quod ut L. B. applausu excipiatur, & in utilitatem communem vergat, vehementer exopto.

§. I.

Contagii vim & proprietatem expositurus, quid sibi velit appellatio ista, initio mihi explicandum video: Est autem *Contagium* â verbo *contingo*, & hoc â particula, *con* & *tango*. Et quidem contingere non tactum aliquem nudum, ordinarium & perfunctorium, sed tactum peculiarem, arctiorem & efficacem denotat, quo peculiaris qualitas activa in contingente unacum tactu alteri contacto inprimitur, simulque ipsi facultas com-

municatur, illam eodem modo, eodemque gradu propagandi ulterius; unde etiam contagium *morbus* est, qui contactu inficit, & perquam apposite Græcis νόσος ἐκ παραπτριβῆς, sive ex *affrictu*, dicitur. Quippe corpora contagiosa contingendo sanis corporibus fomitem contagiosum affricant, ita, ut eadem perinde contaminata, labem conceptam vultu prodere cernantur, juxta illud *Lucretii:*

Quæ contage suâ palloribus omnia pingunt.

Ex quo facile intelligitur, consideratione vocis *contagii* physicam huc non pertinere, quâ vim aliquam â stella defluentem & in sublunaria influentem, significat, juxta *Ciceronem Lib. de divinat. II. §. 43.* aut consensionem terrenorum cum cælestibus â perenni horum influxu innovatam, juxta *Jul Firmic. Astronom. Lib. I. Cap. I.* aut formalitati gustus declarandæ, quod sapor palati contagione fiat, adhibetur ab *Arnobio Lib. II.* Quin potius in foro Medico designat statum p. n. istum, qui aliâs *morbus epidemius, Lues popularis, morbus communis*, eine Land-Seuche, eine ansteckende Kranckheit so irgendwo unter den Leuten herum gehet, ein böses grassirendes Fieber, oder auch eine Contagion, appellatur.

§. II.

Est autem contagium *affectio p. n. seminium morbosum diffundendi facultate pollens, quâ aliquis in uno corpore residens affectus, nunc mediato nunc immediato contactu, alteri communicatus, in eo sui similem excitare potest, unde postmodum pluribus certo quodam tempore in una alteraque regione simili modo prehensis, morbi epidemii oriuntur.*

§. III.

Affectionem p. n. dico, quia corpus cæteroquin sanum in statum p. n. præcipitat, ideoque lædit, verbo, quia est morbi causa: Eidem *facultatem* assigno, quia possidet qualitatem activam, quam diffundendo & commuicando exserit: *Morbosum seminium*, id, quod diffunditur, voco, quia nec ipse morbus transit, nec propterea in communicante cessat, sed quædam substantia corporea, exhalando alterum

terum inquinans: Id quod communicatur, *affectum in corpore residentem* appello, quia non sufficit ad formalitatem contagii causa æquivoca, sed requiritur univoca: Seminii morbosi *contactum* nunc *mediatum*, nunc *immediatum* suppono, quia contagium & propagatur *corporaliter & virtualiter*: *Morbum similem* excitari dico, quia morbus excitatus quà speciem convenit cum excitante, non vero quà numerum: Denique contagii effectum genuinum & signum infallibile subjungo, quod nimirum ab eo morbi epidemii communiter oriantur. Ex quibus facilime colligitur, conceptum formalem contagii in se spectati, 1.) consistere in efficaci communicabilitate, malignitatis in pernicie, pestis in necrosi: 2.) contagium fluidorum corporis corruptionem intentare, malignitatem putredinem gravem accelerare, virulentiam pestilentem principium vitale celeriter suffocare. 3.) contagium corripere plures ex multis discriminatim, malignitatem multos ex omnibus, pestem omnes ex toto indiscriminatim. 4.) contagium præsupponere tria, scilicet corpus communicans contagiosum, miasma transiens, per quod communicatio instituitur, & denique corpus seu patiens ad miasmatis contagiosi receptionem sufficienter dispositum.

§. IV.

Ad *differentiam* nunc accedo, quæ genuinam contagii naturam & indolem eo facilius manifestare potest. Hujus v. intuitu præprimis duplici ratione considerandum & distingvendum est contagium, prout nimirum vel sibi soli relictum in se tantum spectatur, vel cum aliis morbis comparatur, illisque opponitur. Stricte igitur sumtum & in abstracto consideratum contagium communiter observatur esse aut *benignum*, aut *malignum*. Prius quod attinet, competit illud talibus maxime affectibus, qui in respectu erga alios benignioris semper indolis sunt, & vix ita frequenter lethales aut adeo periculosi existunt quam alii, sua tamen seminia eodem modo diffundere, illa aliis, licet non omnibus, subjectis communicare, sibique

similem

ſimilem affectum in illis producere valent, prout in variolis, morbillis aliisque hujus generis morbis hoc obſervatur. Sic, regnante Carolo IV. homines in ſuperiori Germania *paſſio maniaca ſaltatoria* afflixit, qua tum viri, tum fœminæ in terram cecidêre, cum ore ſpumante: Et *Lippitudo contagioſa*, per nonnullas Italiæ civitates graſſans, obſervata eſt â *Fracaſtorio Lib. II. de morbis contagioſ. cap. 22.* *Malignum* vero contagium gradu quidem ab hoc tantum differt, ſed pejoris ſimul eſt indolis, & circa tales non niſi morbos verſatur, qui vehementiori gradu, quam ipſorum Natura requirit, ſævire ſolent, omnibus, vel ſaltem plurimis ſubjectis communicantur, exitumque periculoſiſſimum imo ſæpiſſime funeſtum, ſortiri ſolent, ſicuti in febribus peſtilentialibus, petechialibus &c. illud obſervatur. Et hujus differentiæ fundamentum communiter in diverſa ſeminii morboſi conditione quærendum erit, mediante qua in M. S. vel fermentationis ſaltem vel corruptionis, vel putredinis minoris, majoris, levioris vel acrioris actus excitatur, prout nimirum illius materia halituoſa, magis ſubtilis & acris, aut crudior & ad actualem corruptionem inducendam inhabilior exiſtit, cujus rei exemplum evidentiſſimum in Chirurgicis videmus, circa differentiam puris, quod in ulceribus benignioribus & recentibus melioris ſemper indolis eſt, quam in cacoœthicis, ſinuoſis ac fiſtuloſis corruptionibus, quæ ulcera propterea etiam *malignorum* titulum apud Chirurgos promeruerunt.

§. V.

Deinde etiam contagium videmus aliud eſſe *mitius*, aliud autem *vehementius*, & quidem non ſolum in diverſis morborum ſpeciebus, ſed & ſub una eademque ſpecie, ſecundum individua, tempeſtatem, aut morbi tempora diverſa. Sic ſæpiſſime contingit, ut plures una eademque febre acuta quidem corripiantur, unus autem præ altero minus ægrotare & citius convaleſcere ſoleat. Sic communi Autorum ſuffragio, ſub frigidiori cœli conſti-

tutio-

tutione, omne contagium mitius esse solet, quam sub æstuosiore humidioreque tempestate. Sic etiam certæ febres aliàs sua Natura benigniores, v. g. Variolæ, morbilli, dysenteriæ epidemiæ, hoc anno aut anni tempore plus incommodi, plus turbarum, plus periculi, imo sæpe numero funestos exitus exhibere ac post se trahete observantur; quin imo per experientiam quoque certum est, ipsam febrem pestilentialem alios mitiori, alios vehementiori gradu affligere, modo plures, modo etiam pauciores homines invadere, interdum solas fœminas, interdum viros robore præcellentes, quin & fœtus in utero mulierum solummodo corripere, id quod olim *Eusebius* & *Orosius* observarunt; nec non modo citius, modo tardius propagari, prout nimirum venenum alia & alia sese diffundendi facultate præditum est.

§. VI.

Porro etiam distinguendum est contagium ratione diversitatis modi propagandi, ubi aliud est *corporale*, aliud *virtuale*. Prius communiter per contactum proximum, immediatum & corporalem disseminatur, adeo ut corpus illud, quod inficitur, ab alio corpore, quod jam jam infectum est, proxime attingatur, sicque seminium morbosum ex hoc in illud statim transeat, quale quid observatur in illis, qui ex intimiori consortio cum scabiosis, leprosis, venereis, aliisque, similes sibi morbos acquirunt, nec non in propagatione variolarum per insitionem, in excitatione earundem in certis tantum corporis regionibus, ubi sæpissime si v. g. infantes varioloſi mammis vel genis nutricum atque matrum suarum diutius admoventur, plures in illis locis variolæ exoriri ac produci solent.

§. VII.

Virtuale autem quod attinet *contagium*, altioris illud est indaginis, cum non nisi per seminium quoddam morbosum corpori cuidam longius ab alio distanti citra contactum proximiorem, communicari soleat, id quod propterea &

conta-

contagium ad distans dicitur. Ipsa enim materia hujus contagii in lentore viscido admodum tenui non tamen summe volatili consistit, ideoque corporibus crassioribus, asperioribus porosioribusque satis diu interdum inhærere atque in ipsis nidulari potest, si præsertim illa non ita facile resolvantur, sed densioris atque viscidioris substantiæ & essentiæ sint, ut materia illa se se non solum facile eis insinuare, sed & firmiter atque tenaciter inhærere diuque ibi persistere possit. Inde elucescit veritas asserti illius circa negotium grassationis pestilentialis à nonnullis prolati, quod nimirum pestis non semper, imo fere nunquam, nostris in oris, ex causis indigenis & communibus aeris, diætæ, &c. originem suam sumat, sed utplurimum per virtuale hujusmodi contagium ex longe dissitis & præprimis Orientalibus regionibas ad nos transferatur. Observatum enim est miasmata talia contagiosa in ipso etiam aere, validis licet ventorum motibus agitato, pluviisve quasi à sordibus mundificato, diu non solum contineri ac retineri, sed sæpissime etiam per remotissima regionum intervalla dispergi, & vestibus, mercibus, pavimentis, parietibus, arctissime insinuari, ut per plurium quoque annorum spacium vires suas integras & salvas pariter conservare, & si de novo ejusmodi res agitentur, non minus, quam si jam proxime è corpore quodam contagioso emissa essent, lædere possint, cujus rei insigne testimonium apud *Trincavellam Lib, III Consil 17.* deprehenditur, ubi post decursum viginti annorum per funes, quibuscum antea cadavera peste defunctorum tumulis suis illata fuerant, denuo protractos & adhibitos, ipsa pestis revocata fuit; ut alia taceamus exempla, quorum insignis numerus apud alios quoque Autores prostat. In specie vero pro exerendo tali contagio virtuali requiruntur ejusmodi instrumenta & materiæ, quæ jam jam aporrhœas illas s. effluvia ordinaria corporis humani continent, quibus dein, tanquam consuetæ suæ matrici & subjecto appropriato, seminia illa morbosa atque miasmata con-

contagiosa, sese eo facilius insinuare ibique diutius remanere possunt, quale contagium etiam alias *Mumiale* appellari solet

§. VIII.

Hæ igitur erant differentiæ contagii in se spectati; considerandum v. illud adhuc est in relatione erga alios affectus & in combinatione cum illis, ubi primo loco bene attendenda est differentia *contagii morborum chronicorum* & *morborum acutorum.* Notum enim est, quod inter morbos benignos, lentos & chronicos, dentur quidam, qui pariter mediante suo seminio propagantur aliisque corporibus communicantur & inducuntur, uti v. g. cum Phthisi, Scabie, Scorbuto, fieri solet, qui affectus si supremum perfectionis suæ gradum attigerint, simili ratione, uti cum aliis malignis & acutis fieri solet, contagiosi evadunt, sed mediante peculiari quodam contagio. Hoc enim specialis hujus indolis est, ut neque universam M. S. neque omnes humani corporis partes aggrediatur, sed, si v. g. â phthisico sit emissum, licet etiam ad ventriculum perveniat & sic M. S. perfacile intrare possit, minime tamen hanc, sed solos plumones aggrediatur: Eadem ratione seminium morbosum scabiosi vel leprosi, quanquam parili facilitate mediante respiratione pulmonibus communicari possit, nunquam tamen illos ita, uti cutem & in specie lympham afficit. Econtra vero *contagium morborum acutorum* seminia sua primo statim actu per universam M. S. dispergit atque diffundit, mixtionem ejus turbat & corruptionem prutredinosam in eam inducere tentat, qua de causa etiam hi non solum summne periculosi, sed haud rarò quoque lethales existunt, illi vero, chronici morbi, benigniorem semper indolem exhibent, neque omni tempore & tam cito funestum talem exitum sortiuntur. Et de hoc postremo etiam, nempe acutorum morborum contagio, nobis inpræsentiarum maxime sermo erit, prout ex clausula definitionis nostræ clarius elucescit.

§. IX.

Circa acutos autem hoſce morbos probe quoque notandum eſt, ne *contagium* fortean cum *malignitate* confundetur, ambo enim morbis epidemiis familiaria obſervantur & tamen maxime inter ſe differunt. Latiſſime quidem ſumitur vocabulum *malignitatis*, & ſæpiſſime ipſius præſentia in ejusmodi morbis accuſatur, ubi tamen ne minimum ipſius veſtigium depreheudi poteſt; ſic enim communiter omnes illi morbi pro malignis declarantur, qui curationem omnem reſpuunt; ſed quis non videt, quod generali nimis & improprio plane ſeuſu hoc fiat. Igitur proprie & in ſtrictiori ſenſu ſumta *malignitas* conſiſtit in peculiari humorum omnium, præcipue vero S. corruptione, cum diſſolutione aut coagulatione, ſicque genuina non ſolum eſt ſoboles peſſimæ cujusdam latentis cacochymiæ, ſed & primariam ſuam originem ut plurimum â contagio maligno ſumit, & eundem ſimul reſpectum habet, qualis inter *cauſam* & *effectum* intercedit, ut ideo omnes quidem morbi maligni poſſint eſſe contagioſi, minime vero omnes contagioſi etiam actu ſint maligni notante *Magnif. b. m. Wedelio Theorem. Med. P. II. Sect. I.* §. *67*. Exinde quoque eluceſcit, diſtinctionem illam, quam *Georgius Calafatti* in ſuo *de Peſte* Tractatu inter contagium & malignitatem producit, inadæquatam plane eſſe, dum *prius ab aeris corruptione dependere, & citra aliarum rerum contactum, per inſpirationem ſolam homines opprimere; poſteriorem vero, licet etiam univerſalem quandam cauſam ſupponat, tamen non niſi per contactum rerum aut perſonarum infectarum propagari, dicit;* cum tamen ſufficienter jam jam demonſtratum ſit, quod ipſum contagium & hoc & illo modo communicetur, atque tali ratione nulla plane inter hoc & malignitatem deprehendi posſit differentia.

§. X.

Denique etiam adhuc maxime diſtinguendum eſt *contagium* â *venenatione*, aut ſpecialius, morbi *contagioſi* â *venenatis* bene diſcernendi ſunt, quia hi alia plane ratione

ſe

ſe habent, quam illi, & licet interdum morbi ex veneno orti ſimul contagioſi fiant, tamen propterea per contagium non ſunt producti. Secundum noſtram enim contagii definitionem, hoc in eo conſiſtit, ut ſub affectione quadam præternaturali ſeminium aliquod morboſum in aliud corpus diffundatur, & reſidens in uno corpore affectus, illi vel mediate vel immediate, ita tamen, communicetur, ut in eo ſui ſimilem producat & excitet; quam igitur ſi ad morbos venenatos applicamus, facile liquet, quod hi toto cœlo â contagioſis differant. Si quis enim â ſerpente vel ſcorpione mordeatur & exinde periculum vitæ incurrat, ille veneno quidem, non vero contagio infectus dicendus eſt, ſiquidem *ſerpens* & *ſcorpio*, licet ſint animalia *venenoſa*, tamen ſtricte & proprie loquendo non ſunt *venenata*, aut veneno depravata, quia hoc ipſis naturale eſt. Sic etiam ſi quis ex morſu *Tarantulæ* famoſum illum affectum, quem *Tarantismum* vocant, incurrat, ſane hoc ex contagio non eſt factum, ſed ex veneno, quia nulla unquam Tarantula tali affectu pariter laborat. Ita ſe res quoque habet cum *Torpedine*, ſi ab illâ ſtupor per tridentem piſcatoris ad ipſius manum transmittatur, hic plane nullo adſcribi poteſt contagio; ipſa enim Torpedo, licet hunc affectum producere valeat, tamen eumipſum nunquam experta eſt. Sic igitur nullus plane morbus venenatus quoad originem ſuam cum contagioſo quicquam commune habet, ſed ad evitandas plures confuſiones neceſſario ab eo diſtingvi debet.

§. XI.

Ordinis autem ratio & neceſſitas nunc poſtulat ut *Subjectum* contagii perluſtremus, quo ſedes atque indoles ejusdem eo melius pateant. Hoc autem eſt univerſa M. S. quæ per miaſma hoc contagioſum, quod efficaciſſimæ ſane & tenuiſſimæ eſt naturæ, magnamque corpora ſolida non ſolum, ſed & humores mutandi vim habet, quaſi per fermentum quoddam, prius *colliquatur*, quo facto dein principia & particulæ iſtæ Maſſam hanc ſanguinis conſti-

tuentes, vinculo cohæſionis vel laxato, vel penitus abacto, â ſe invicem *ſecedunt*, ex qua ſeceſſione *turbata* poſtea oritur *mixtio*, hacque præſente, denique ſenſim ſenſimque inducitur *putredo*, nunc major, nunc minor, boni aut mali moris, prout vel *plethora*, vel *cacochymia* in corpore præextiterit. Notum enim imo notiſſimum eſt, vitam noſtram mediante motu, & hoc quidem ſecretorio atque excretorio, ordinarie foveri & conſervari, pro eo autem facilitando motum ſanguinis progreſſivum omnium optime inſervire. Hanc igitur ob cauſam principium noſtrum vitale omnibus viribus eo annititur ut univerſa M. S. partim in debito motu, partim etiam in originaria ſua mixtione firmiter conſervetur, cumque hæc ipſa debilis admodum, infirma ac facilime deſtructibilis ſit; hinc eo majori cum ſtudio illam inſeparabilem conſervare intendit, & quaſi peculiare vinculum cohæſionis particularum illam conſtituentium, ſiſtit, quo minus ſalutaris iſte nexus deſtrui poſſit. Hac de cauſa etiam indies omnes illæ ſubſtantiæ peregrinæ & heterogeneæ, quæ quocunque modo mixtioni huic adverſæ ſunt, ab humoribus laudabilibus ſecernuntur, colliguntur & eliminantur, & quamdiu hi actus indefeſſo ſtudio continuantur, tamdiu ſanitas illibata manet; ſin vero accidat, ut per cauſas quascunque externas, particulæ magis ſubtiliores, halituoſæ & fermentativæ intra corpus perveniant, & ob ſummam ſuam ſubtilitatem humoribus ejusdem, & præcipue M. S. intimius ſeſe immiſceant, & cum ea conjungant, nec ita facile & ſtatim ab ea iterum ſeparari queant, tunc incipiunt pro ſua indole agere, particulas ſanguinis laudabiles diſſolvere atque deſtruere, atque ita pedetentim corruptionem quandam putrefactoriam inducere, ut propterea principium noſtrum vitale, operam ſuam fruſtraneam eſſe ſentiens, ſenſim ſenſimque recedat, ſicque vinculum ſervatæ hactenus cohæſionis prius debilitetur, dein v. plenarie auferatur, atque hoc modo contagium & ipſa mors ſimul in corpus introducantur.

§. XII.

§. XII.

Pro faciliori autem & clariori hujus afferti demonstratione, ac ut eo melius appareat, qua ratione contagium & præprimis particulæ ejusdem fermentativæ, sanguinis massam non solum colliquare, sed & mixtionem ejus destruere & portam putredini aperire valeant, aspiciamus, si lubet, *Synochum putridam*, in qua citra externum etiam quoddam contagium, mediante solummodo calore interno, in similem fere putredinis labem sangvis cum reliquis humoribus præcipitatur. Si enim M. S. consvetam ac debitam suam quantitatem excedit & in justo majori copia generatur, necessario Spiritus noster vitalis eò præcipue invigilare debet, ut indies portio quædam ejusdem resolvatur & imminuatur, atque per consveta exoretoria loca eliminetur, cumque per sudorem omnium optime hoc fieri posse sciat, utique maxima cum cũua transpirationem liberam servare intendit. Hæc vero si forsitan ex accidenti turbetur, impediatur, aut plane supprimatur, sangvinem non solum, unacum reliquis humoribus, augescere, sed & in qualitate ac consistentia sua depravari multisque heterogeneis materiis inquinari facit, inde accumulantur principia illa noxia serosa, halituosa, sulphurea, orgastica, augetur calor internus, ob denegatam transpirationem, & denique particulæ istæ excrementitiæ prædominium acquirunt, sangvinis mixtionem, sub actu inflammationis, prius turbant, dein resolvunt & denique destruunt atque dissolvunt, ut in actualem plane corruptionem, imò putredinem tandem delabatur, quam quidem vitale nostrum principium per actus febriles conservatorios dissipare & auferre intendit, rarissime vero plenarie iterum abigit. Si igitur ea quæ intra nos sunt, solicariè, tantam possunt acquirere subtilitatem, ut etiam mixtioni M. S. exitialia evadant, utique & multo, magis rationi consonum erit, idem quoque ab externis rebus quæ adhuc magis heterogeneæ, subtiles atque orgasticæ sunt, eo facilius fieri posse.

§. XIII.

§. XIII.

Hoc ipſum autem fermentum contagioſum non ſemper & ubique ex iisdem numero & qualitate particulis conſtat, ſed modo plures, modo pauciores, modo leniores & debiliores, modo etiam acriores & activiores continet. Pro hac igitur diverſitate inſignis illa contagii differentia oritur, ut modo benignum & mite, modo etiam malignum & vehemens ſit, prout nimirum particulæ iſtæ majorem vel minorem fermentationem in ſanguinis maſſam introducunt, & principia illam conſtituentia plus vel minus ab invicem ſecedunt. Dantur enim varii gradus ſeceſſionis in humoribus, prout hoc patet in lacte, quod aliter ſecernitur ad parandum butyrum, aliter ad parandum caſeum, aliter ubi coagulum paratur: Ita etiam alia ſemper mixtionis turbatio in ſanguine oriri debet, pro diverſa materiæ illam introducentis conſtitutione.

§. XIV.

Ad *ſigna* nunc pervenimus, quæ præſens maxime contagium in corpore arguere poſſunt: Horum enim maxima utique eſt neceſſitas, præſertim in contagio morborum acutorum & malignorum, ubi malum hoc nullas plane admittit inducias, ſed quovis momento majora ſumit incrementa, corpori inſidias ſtruit & mixtionem ejusdem in abſcondito deſtruit. Illud igitur ſi in primis non ſupprimatur initiis, tantum facile robur acquirit, ut ægerrime dein, & non niſi maxima cum moleſtia ſuperari queat. Arguunt autem contagium præſens in ſe ſpectatum, ſtatus Epidemius ſ. afflictio communis inprimis, malignitati junctum ſubitaneus virium lapſus atque defectus, citra prægreſſam aut conjunctam notabilem quandam cauſam eveniens, unacum inſolita taciturnitate, frequenti horripilatione, doloribus tenſivis & ſpaſticis, inprimis in lumbis atque dorſo, quibus accedunt non raro atrociſſimæ cephalalgiæ, circa noctem præcipue infeſtantes, vigiliæ anxiæ, pertinaces, frequens cordis palpitatio, cardialgia, & ſumma omnino anguſtia, intercurrunt nonnunquam Lipothymiæ, vomitus,

tus, appetitus proſtratio, ſitis inſolita aliaque. Pulſus communiter eſt debilis, parvus & inæqualis, urina eſt ſanorum ſimilis, absque ſedimento, ad majorem tamen ſæpius rubedinem vergens. Quibus omnibus, ſi præcipue malignum vehementiusve ſit contagium, breviſſimo intervallo poſtea motus febriles intenſiores junguntur ſicque ipſius morbi indoles ſtatim pateſcit; ſi vero mitius & benignius ſit contagium, omnia hæc in remiſſiori gradu ſeſe exerunt, neque tam cito procedunt & cum minori ſemper periculo conjuncta ſunt.

§. XV.

Quod *cauſalem* nunc attinet *deductionem*, in ea utique concurſus *aeris* primarium conſtituit fundamentum, cum ille ex conſenſu omnium Autorum aptiſſimum ſit contagii vehiculum. Qua vero ratione talem malignam, fermentativam & corruptivam diſpoſitionem acquirat, altioris indaginis & majoris momenti res eſt, ſiquidem quoad propriam ſuam ſubſtantiam & eſſentiam, omnis plane contagii expers, & puriſſimus potius ac limpidus eſt: Interim tamen ea præditus eſt capacitate, ut heterogeneas quasvis, præcipue autem ſubtiliores particulas recipere, continere, aliisque ſubjectis promptiſſime communicare queat. Quare, cum univerſus iſte globus terraqueus ex omni ſui parte ingentia ſemper effluviorum agmina diffundat, quæ deinde Athmoſphæram terreſtrem pro moderando & temperando aere alias ſubtiliſſimo conſtituunt, ipſæ vero hæ exhalationes pro ratione & conſtitutione regionum & locorum diverſiſſimæ ſint, neceſſario quoque diverſi in viventium oeconomia producuntur effectus, ſiquidem hac ex ratione aer quibusdam in locis opacus, craſſus, putridus & morboſus; in aliis ſalubris, ſerenus, vividus, purus omnisque noxæ expers eſt; alibi denique mediocritatem quandam ſervat & neque adeo malus & noxius neque adeo perfecte ſalubris exiſtit. Hanc vero naturalem ſuam qualitatem vix ſemper & ubique ita retinet, ſed, cum perpetuis alterationibus

Universum hoc expositum sit, solet nonnunquam fieri vel per terræ motus, vel intimarum partium igne subterraneo depravatarum novam & peregrinam combinationem, ut aer abditus corruptionis veneno prægnans, per apertos terræ poros tandem superioris regionis aerem athmosphæricum purum, suis inficiat quisquiliis, atque tali ratione contagii concepti & nunc longe lateque propagandi & diffundendi seminia præbeat.

§. XVI.

Aptissimus vero, pro recipiendis & ulterius propagandis ejusmodi noxiis lethalium halituum aporrhœis, *aer* est *calido humidus, juxt. aph. 16. S. III.* qualis communiter & ordinariè Mensibus Augusto, Septemb. & Octobre, nostris in regionibus solet esse, hic enim nec nimis subtilis est, ut propterea contagium tale non recipiat, sed potius transmittat, *juxt. aph. 15. S. III.* nec nimis crassus, ut illius activitatem propterea infringat & cohibeat; hinc etiam in locis & regionibus paludosis facilius & frequentius ejusmodi contagium oriri & produci potest, quemadmodum *Montanus* de Lacu quodam prope *Famagustam* in Insula Cypro refert, quod æstivo tempore communiter computresceret, & singulis fere annis febres pestilentiales ibi excitaret; & *Tavernierius in Itinerario suo Lib. I. c. 7. p. 33.* de peste in *Smyrna* quotannis grassante judicat, quod ea maximam partem ex aqua illa, quæ tempore hyberno circa hanc urbem sese colligere, accedente vero æstate iterum putrescere solet, originem suam ducat. Econtra vero aer nimis æstuosus & minus humidus, vix ita appropriatus pro recipiendo contagio, quin potius interdum ob nimiam suam subtilitatem & rarefactionem illud magis evertat & dissipet, testimonio pestis, quæ referente *Prosp. Alpino de Medic. Ægypt. cap. 15. fol. 28.* sæpissime in Ægypto sub hac aeris qualitate iterum evanuit & cessavit, nunquam autem in Java Majore, Brasilia & Occidentali Æthiopiæ parte observata fuit, quanquam ibi aer extremo semper caloris gradu æstuet, de qua re vid.

Juncke-

Junckenus in vita Ludolphi, Scaliger de subtil. Exercit. 32. p. 140. & Gvil. Piso de Indiæ utriusque Histor. natur. & med. Lib. 1. p. 20.

§. XVII.

Si igitur hac ratione aer noster athmosphæricus miasmate tali contagioso semel refertus est, tunc ulterius illud corporibus humanis communicatur, partim per *inspirationem*, partim etiam per *deglutitionem salivæ*, tanquam materiæ fermentativo motu proximè jamdum pollentis, partim denique, licet paulo difficilius, per ipsos *poros cutis*; ex quibus tamen saliva quadam prærogativa gaudet, ita ut contagii seminia in paulo majori quantitate cum ea corpus ingrediantur, siquidem in statu s. n. nihil tam indesinenter, nihil tanta cum celeritate, tam profunde & minori cum impedimento corpori communicari potest, præter id, quod mediante deglutitione & respiratione in illud pervenit. Hinc etiam omni tempore prudentiores Medici, qui circa ægrotantes ex morbis contagiosis decumbentes, versari coacti sunt, salivam nunquam deglutire, sed potius sæpissime exspuere sueverunt, aliisque idem commendarunt, qua de re inprimis *Jac. Joh. Wencesl. Dobrzensky Schediasma* An. 1679. sub titulo: *Præservativum universale, s. saliva contra omnem in aere serpentem Contagionem præservativum optimum*, divulgatum & M. N. C. Decur. I. Anni IX. & X. p. 375 sqq. insertum, conferri meretur.

§. XVIII.

Hac igitur ratione nunc patet, quo pacto aer primum particulis ejusmodi heterogeneis, orgasticis & corruptibilibus imprægnetur, & postea labem talem humoribus corporis nostri, præsertim vero S. aspergat, sicque virtuale contagium in specie illis communicet; quare jam ex instituti mei ordine etiam modus ille, quo corporale contagium propagatur demonstrandus esset; quoniam vero ille maximam partem cum jam allato coincidit, atque insuper paulo inferius, nimirum §. XX. plura de eodem dicenda restant, filum nunc abrumpo, & ad

reliquarum pariter neceſſariarum cauſarum explicationem tranſeo. Antequam vero præſentem hanc derelinquam, monendum adhuc duco, quod plurimi clariſſimi viri, præſertim inter Aſtrologos, infectionem aeris plane aliis cauſis, quam allegatis exhalationibus particularum putredinoſarum adſcribant, dum inſimul ad determinatas *ſiderum* poſitiones & ad incompatibilitates oppoſitionum ac malignorum congreſſuum confugiunt, & per productos exinde noxios influxus & perniciosas exhalationes ejuſmodi contagium in aere proxime generari poſſe autumant: Quoniam vero ſufficienti argumentorum pondere nondum comprobatum eſt, ſidera, præter Solem & Lunam, reliqua, usque adeo â globo noſtro terraqueo ejusque athmoſphæra diſtantia, alia ratione in hæc inferiora agere poſſe, quam ſolo motu luminoſo, atque inſuper jamjam multi Clariſſimi viri ex ipſis Aſtrologorum & Mathematicorum Scholis, veluti *Copernicus, Galilæus â Galilæis, Renatus des Cartes, Tycho Brahe, Keplerus*, aliique, occultas haſce aſtrorum vires, tanquam rem vanam ſolidis rationum argumentis deſtitutam & experientiæ inſuper repugnantem, rejecerunt, ego quoque illam lubens miſſam facio.

§. XIX.

Alteram vero contagii cauſam communem quod attinet, in *alimentis* ea conſiſtit, quæ vix minori poteſtate, quam ipſe aer in producendo & communicando contagio gaudent. Certum enim eſt hominem varii generis ſubſtantias nutrimenti in locum adhibere, v. g. carnes, fructus, herbas, frumenta, aliaque, quæ omnia, quamdiu ſalubria atque ſana & legitimo ſimul modo aſſumta fuerint, totum quoque hominem in ſaluberrimo corporis ſtatu conſervant; ſin vero mali ſucci fuerint, & ſubſtantiæ inconſuetæ, idem efficient, quod ipſum alias contagium præſtare ſolet: Hinc ſi alimenta iſta ſint corrupta, ad fermentationem putredinoſam jam diſpoſita, pluvia aut nebula quadam virulenta inquinata, aut alio quocunque modo infecta, atque ita, citra prægreſſam depurationem

tionem intra corpus assumantur, tanta necessario in eo generatur humorum acrasia, sive intemperies, quæ parum vel nihil ab ipso contagio recedit, illudque, si jam in aere præsens, eo facilius attrahit & in se recipit. Propterea etiam videmus quod sub grassatione pestilentiali omnium maxime illa inficiantur subjecta, quæ intemperanter magis vivunt & cacochymiæ obnoxios se reddunt; cum è contra illi, qui accuratiorem servant diætam, sæpius quoque ab ea præserventur, exemplo *Socratis*, de quo *Diogenes Laertius in vita Socr.* testatur: *Socrates adeo parce & temperate vixit, ut, cum Athenas pestis sæpenumero vastaret, solus ipse nunquam ægrotaverit.* Pari ratione quoque res sese habet, si bellum, agrorum sterilitas, aliæque causæ insignem alimentorum defectum inferant, ubi urgente famis rabie quodlibet, quod sors suggesserit, in nutrimentum assumitur, prout sunt carnes animalium sordidiorum, semiputridæ, semicoctæ, radices herbarum perniciosæ, panes ex glandibus, furfuribus, &c. confecti, aliaque plura ejusdem census; ubi mirandum non est, quod ex depravatis talibus alimentis depravati quoque oriantur succi in corpore humano, insimulque illi ad contagii productionem & receptionem magis disponantur. Et hac de causa quoque sæpius pestilentiales aliasque contagiosas febres post prægressam annonæ caritatem introductas videre licuit; hinc etiam in castris, præcipue vero obsidionibus diuturnioribus, eædem adeo frequentes sunt, ut pro ordinario quasi requisito & consectario illarum reputentur, quoniam miseri homines sub hisce circumstantiis fœdissimas communiter & abjectissimas substantias, quas vix degustare quis posset, famis tyrannide coacti, avidissime devorare solent, prout hanc calamitatem in sequentibus diserte descripsit *Plutarchus*, notante *Foresto Lib. VI. Observ. 26. in Scholio:*

Sed patitur sævam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem, nondum surgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus

In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et foliis spoliare nemus, lethumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas,
Quæ mollire queunt flammæ, quæ frangere morsu,
Quæque per abrasas utero demittere fauces,
Plurimaque humanis ante hoc incognita mensis
Diripiens miles.

§. XX.

Denique tertio communis cujusdam causæ vices etiam sustinet *interna* quædam *labes* in ipsis corporibus jamjam præsens, quæ ipsa tamen magis ad propagandum & communicandum ulterius contagium, & hoc quidem *corporale*, quam ad illius genesin requiritur. Sic phthisis, si per contagium alicui communicari debeat, requirit antea præsentem exulcerationem pulmonum; variolæ si per insitionem transplantari debent, non nisi prægressam antea corruptionem ulcerosam, & prognatam exinde materiam purulentam desiderant, &c. & hoc de omnibus morbis contagiosis per corporale contagium propagandis, maxime valet: *Virtuale* enim magis ex aere infecto sua sumit primordia, postea tamen eodem modo, ut corporale, communicatur & propagatur, licet etiam nonnulli febrem pestilentialem inde excipere voluerint, illamque per contagium corporale minime propagari posse asseruerint, prout hoc ipsum â *Gregorio Nysseno* factum est, qui testante *Diemerbrockio Tr. de Peste Lib. I. cap. 10. p. 81.* eos, qui cum ægrotis pestiferis conversantur, propterea eodem morbo corripi putat, quod communi cum infectis aere utantur, aut eandem dispositionem internam habeant, non autem quia ab infectis contaminentur. Eandem quoque sententiam, sed ex alio fundamento amplectitur Celeberrimus quidam Acad. cujusd. Saxon. Vir quando in *Dissert. de Peste Lipsiensi* loco contagii *terrorem* substituit, dum p. 30. ita scribit: *Sancte testor, me nullum huc usque vidisse ægrum ex peste, qui non â terrore eam contraxerit;* & p. 32. hæc verba subjungit: *Revera nec contagium est contagium, nisi ter-*

ror

ror accedat; cui etiam adſtipulatur *Bartholdus Florian. Gerſtmannus in Tumulo peſtis, hactenus metu veneni occluſo, nunc per principia Recentiorum, &c aperto & innoxio demonſtrato.* Quibus omnibus vero plurimi alii non minus celebres Autores, validioribus magisque fundatis rationibus ſeſe oppoſuerunt, de quibus plura habet Clariſſimus *Kanoldus in Reflexionibus ſuis de Peſte in & extra Orientem, Literis* illis, quas de *Peſte Maſſilienſi* edidit, adjectis, *p. 43 ſqq.*

§. XXI.

Quoad *Prognoſin* pauca tantum erunt notanda præprimis cum ſigna illa admodum ſint lubrica & fallacia *juxt. Aph. 19. S. II.* ob quam cauſam Medico maxime cautè agendum eſt, & non niſi omnibus probe examinatis & perſpectis, judicium de conditione & eventu contagii ferendum. In genere igitur ſciendum eſt, quod, quo plures eodem tempore interimuntur, eo periculoſius quoque & malignius contagium judicari debeat, & vice verſa pariter, quod contagium vehemens, malignum aut magis virtuale gravius exiſtat mitiore, benigno & corporali. Præſente autem vehementiori & maligniori tali contagio, Medicus nunquam debet promittere ſanitatem & reconvaleſcentiam, ſed adſtantes ſemper inter ſpem & metum dubios tenere, ipſe vero animum minime demittat, licet etiam periculoſiſſima adſint ſymptomata, quæ aliis in morbis certiſſimum vitæ periculum inferre poſſent, ſiquidem ſæpiſſime meliorem ſalutis exitum ipſis reſpondiſſe compertum eſt.

§. XXII.

Perluſtrata ſic contagii *Theoria*, progreſſum ulteriorem nunc facio ad ejus *Therapiam*, quæ & methodo *præſervatoria* & *curatoria* abſolvitur: Pro ſcopo præſervatorio obtinendo, conſultum erit *primò* evitare cauſas contagii communes, ſcilicet aerem inquinatum, alimenta depravata, & fomitis contagioſi communicationem, vel ſi omnimoda fuga haud concedatur, earundem vim noxiam ſaltem, quoad poſſibile emendare atque enervare: Secundò, mediante

diante curâ prophylactica conveniente hominibus in tempore prospicere, ne tam facile contagio ingruenti succumbant.

§. XXIII.

Quoniam igitur *aer*, ex ordine rerum Non-naturalium, principalissimum & aptissimum contagii vehiculum constituit; hinc circa eum summa adhibenda est cura, ne, si ipse jamjam impurus redditus fuerit, conceptam suam noxam tanta celeritate & vehementia exerat, id quod maturata aeris inquilini cum peregrino commutatione, quam optime fieri potest, suadente hoc ipsum Hippocrate *Lib. de Natura hom.* §. *67.* modo â subjectis tenerioribus secessus ille ad loca remotiora successive instituatur, quandoquidem id, secundum *Aphor. 51. Sect. II.* tutius habetur, præsertim si quis ab uno ad aliud, sive â consueto ad minus consuetum transierit; & hoc assertum ideo cumprimis hìc locum invenit, ut ne forte quis in terra peregrina morbo endemio correptus, suspicionem contagii secum translati incurrat, ideoque iterum cogatur cedere loco. Alias in quolibet contagio locum habere poterit illud consilium, quod communiter in contagio pestilentiali evitando, optimum censetur:

Hæc tria tabificam tollunt adverbia pestem:
Mox, Longe, Tarde; Cede, recede, redi.

§. XXIV.

Quod si vero non cuivis liceat adire Corinthum, aliosque res angusta domi, vitæ genus officiive ratio ab executione hujus consilii excludat, tum *arte* corrigendus & immutandus est aer vel communis, vel decumbentium athmosphæricus, aere communi contagii adhuc experte; in quo negotio munditiei studium, tam in publicis quam privatis locis colendum, atque hoc scopo irrigationes pavimentorum parietumque, aquarum ex floribus & herbis alexipharmacis fragrantioribus, frequenti aspersione, institutæ, suffimigia ex balsamicis, resinosis, ♀eis, nunc volatilibus, nunc acidis, pro ratione contagii seligendis, atque

in

in vulgus notissimis, parata, multum juvabunt. Taceo lignorum resinosorum strues in publicis locis accensas; taceo pulveris nitrati vim in tormentorum bellicorum majorum minorumque explosione conspicuam, quibus seminium contagiosum aeri inhærens, discutitur consumiturque, taceo probatissimum aeris contagiosi corrigendi remedium, etiam in vehementissima peste Batavorum â *Diemerbrockio* felici successu usurpatum, posteaque aliis commendatum, *fumum* nempe *Nicotianæ*, polychrestum revera ad ejusmodi affectus antidotum, subjectis humidioribus cumprimis suadendum, cujus efficacia mediante additione alexipharmacorum, præsentior evadet, hunc in modum:

℞ *Bacc. Junip.*
Laur. aa. ℥iiß.
Myrrh. ℥ß.
Succin. ℥iij.
Thur. ℥iv.
Galban. ℥ß.
Mastich. ℥iß.
Flor. Spic. hortens.
Hyper.
Rosar. aa. p. iß.
Ras. Lign. Junip. ℥ij.
Sassafr. ℥iß.
Rad. Angel. ℥j
Helen. ℥ij.
Fol. Scord. Mß.
Nicot. bene maturæ & minime putridæ ℥vj.
Incisis & cont. gr. m. asperge ☉i ☾ti Zedoar. gtt. xij. Rut. gtt. vij.
M. D. S. Præservirender Rauch-Toback.

§. XXV.

Quod reliquas Non-naturales res concernit, cavendum porro est, ne *cibi* crudioris succi aut corruptæ & depravatæ substantiæ cumprimis â contagiosis degustati, capiantur, *potusque* minus defæcatus, impurus, fermentescens &

putri-

putridus hauriatur. Præterea vitentur *commotiones animi enormiores*, præprimis *iracundæ & terrificæ*, promoveatur excernendorum quotidiana, menſtruave *excretio*, ut & *tranſpiratio libera*, motus blandioris & vigiliarum moderatarum ſtudio concilianda, caveatur conſortium atque intimior converſatio cum hominibus contagii quadam labe jam aſperſis, ut fomiti contagioſo vel in halitu, vel effluviis, vel ſaliva, vel excrementis negligenter aſſervatis, latenti, occaſio adhærendi præripiatur. Denique neminem pœnitebit uno alterove *amuleto*, in tempore de collo ſuſpenſo, ſuæ incolumitati, in quocunque contagio, conſuluiſſe, quæ inter Wedelianum illud ex *Colchici* & *Plantaginis* Radicibus, exaltationis ſuæ tempore collectis, paratum, famam maximopere ſuſtinet, & expectationi geſtantium reſpondet; quicquid etiam de ☿io vivo putaminibus avellanæ incluſo, quæ lacca Hiſpanica ſigillanda, glorientur *Petr. Droettus*, *Conſil. de Peſte cap. 8. D. Eyrer de Dyſenteria epidemia Conſil. P. I c. 7. Tabernæmontanus*, *Begvinus*, *Panſa*, *Goclenius*, *Poppius*, perhibentes, quod in obſidione urbis Metis An. 1552. milites in caſtris â peſte non ſolum hoc amuleto ſervati fuerint, ſed etiam, quod nux iſta apud infectos in fruſta diſſiluerit, quod idem Anno 1601. Dyſenteria graſſante contigiſſe perhibetur; quippe hoc experimenti genus poſtea fruſtra aliquoties tentatum legitur.

§. XXVI.

Quoniam vero corpora impura, utcunque præcedentia obſervaverint, ab omni tamen contagii invaſione minime tuta ac libera per experientiam deprehenſa ſunt; ideoque neceſſe eſt, ut ea, mediante curâ *prophylacticâ*, reddantur puriora, atque ſic ad eludendam contagii graſſantis vim, valentiora. Ea vero impuritas ſpectatur vel in *plethora*, vel in *cacochymia*: Præſente ſcilicet plethorâ M. S. ad fermentationem putredinoſam valdopere eſt proclivis; cacochymia vero dominante metus eſt, ne turbetur ſanguinis conſiſtentia & ad ſeceſſionem partium componentium diſponatur. Itaque ſanguine quantitate excedente,

dente, ſimulac contagia ſe exerunt, V. S. adhibeatur: *Cacochymiâ biliosa* prævalente, vomitoria temperata; *cacochymiâ pituitosâ* urgente, purgantia; *cacochymiâ ſerosâ* præſente, diaphoretica, aut diaphoretico-diuretica uſurpentur; in *cacochymia ſcorbuticâ* vero ſpecificis antiſcorbuticis depuratio inſtituatur, quibus ſemper *leniora alexipharmaca*, ſpeciei contagii accommodata, adjungere proficuum erit. Dico autem *leniora*, quandoquidem â *Levino Lemnio* obſervatum eſt, efficaciorum antidotorum uſum ac conſuetudinem adverſus ingruentis mali contagia, male ceſſiſſe, dum Natura in ſtatu præſervatorio ejuſmodi remediis aſſueta, ſi ad ipſum ſtatum morboſum forte perventum fuerit, vix ac ne vix præſtantiſſimis alexipharmacis, etiam in duplicata doſi adhibitis, ſublevari & â contagio iterum liberari potuit; quid, quod corporis habitum ejusque qualitatem, quæ in calidi, frigidi, humidi, ſicci, mixtura conſiſtit, immutant ac deſtruunt.

§. XXVII.

Præter commemorata multum etiam ad præſervandum corpus tam â contagio ſimplici, quam maligno, *Fonticulis* tribuitur, ex quibus materiam atram, virulentam prorupiſſe cum inſigni emolumento ſæpius obſervatum eſt, id quod ſuo exemplo confirmant Medici famigeratiſſimi, *Guil. Fabritius Cent. IV. Obſerv. Chirurg. 23. Platerus Part. II. Prax. cap. 2. Horſtius Conſil. & Epiſt. Medic. Lib. III. Sect. VII. Quercetanus de peſte Lib. II. cap. 68.* quibus etiam adſtipulatur *Kircherus, Tr. de Peſte, p. 315.* ubi refert, quod in ſæviſſima iſta Romanorum peſte, Anno 1656. nemo, qui fonticulum habuerit, imo nec ipſe Noſocomii Medicus, contagio peſtilenti fuerit correptus. Verum ad felicem hujus experimenti ſucceſſum ſimul requiritur, ut ſubjecta â longo tempore ſint fonticulis aſſueta, ut habeant viſcera integra, & cacochymiæ confirmatæ expertia ſint, & ut temperantiæ ſimul ſtudeant; ſecus fonticuli parum juvabunt. Atque huc quadrat lepidum illud Chirurgi cujusdam, Græcio Variſciæ, reſponſum, quod *Zeilerus Miſcellan.*

p. 182. allegat, qui heluoni fonticulum expetenti quærentique, quid ipse de hoc remedii genere putaret, respondit: Nicht gar viel; denn es kan wenig helffen, wenn man mit Maaß-Kannen eingiesset, und mit Nuß-Schalen wieder ablassen will.

§. XXVIII.

Pro scopo *curatorio* autem feliciter attingendo apprime necessarium erit initio attendere, Medico & cum contagio in se & cum morbis conjunctis rem esse, ex quo is tenetur Alexipharmacis semper combinare Medicamenta specifica convenientia, ita scilicet, ut in Peripneumonia contagiosa, cujus mentionem facit *Dodonæus Observ. 21.* pulmonibus amica; in Pleuritide populari, cujus meminit *Gesnerus Lib. III. Epistolar.* pectoralia & antipleuritica; in Dysenteria epidemia, antidysenterica; in catarrhis populariter grassantibus, anticatarrhalia & roborantia nervina, & sic porro in aliis, admisceat: Deinde ut inter medicamenta contagio dicata delectum instituat, in complexionibus siccioribus & calidioribus calida & ∩tuosa cavendo, & in phthisicis hecticisque acriora & acidiora fugiendo; quemadmodum & aloetica in macilentis, hæmorrhoidariis, durioris alvi personis, maximeque in prægnantibus exquisitam circumspectionem requirunt.

§. XXIX.

Posthæc tribus hisce indicationibus curatio contagii tutissime absolvitur: Si nempe *I.* Seminia morbosa e corpore, per convenientia loca, eliminentur, *II.* M. S. ab imminente, vel jam præsente fermentatione putredinosâ defendatur aut vindicetur & *III.* Symptomatibus præsentibus convenienti ratione obviam eatur. *Primam* quod attinet *indicationem* ad eam obtinendam commendantur præcipue *Vomitoria*, conveniente tempore, loco, specie, dosi & subordinatione reliquæ medicationis exhibenda. Cum enim ut in §. XVII. dictum fuit, contagii seminia atque particulæ maximam partem per salivam corpori humano ejusque humoribus communicentur, sicque primo

statim

ſtatim impetu ad ventriculum eidemque connexa inteſtina ruant, utique optimo conſilio per moderatum & tempeſtive excitatum vomitum proxime removeri poteſt, antequam ad maſſam humorum progrediatur atque altiores ibi radices agat. Et licet etiam hac ratione non ſemper directe ipſa contagii materia atque ſeminia excernantur, tamen ad minimum ſaburra illa mucido-bilioſo-viſcida & fermentativa in ventriculo contenta, quatenus ejuſmodi heterogeneis particulis inquinata & infecta eſt, rejicitur & eliminatur, ne periculoſiſſima ſui mora diuturniore, nocentiſſimam in viſceribus abdominis læſionem producendo, reliquum morbi jam vigentis decurſum, nimium quam par eſt, pervertat & confundat.

§. XXX.

Ejusmodi autem Vomitoria *convenienti* præprimis *tempore* ſunt adhibenda, & primis non niſi diebus, primo nimirum aut ſecundo ab invaſione, ſiquidem noxium hocce fermentum ob ſummam ſuam activitatem ac ſubtilitatem celerrimo greſſu partes atque humores corporis occupat. Proinde etiam illa debent eſſe leniſſima, certiſſima, ſecuriſſima, quæ provocatione & invitatione magis blandiori, quam penetrantiore violenta ſtimulatione, nimirum nauſeabunda magis averſatione, quam roſiva efficacia effectum certo & ſtatim exſerunt. Huic ſcopo autem, ſi maxime præſens jam adſit nauſea, inappetentiæ, Cardialgiæ initiantes, amaritudo oris, &c. omnium optime inſervit vulgatiſſima illa enchireſis, modeſta nempe faucium ope digitorum vel pennæ cujusdam oleo intinctæ titillatio, qua ipſa ſecuriſſimus & utiliſſimus in hoc caſu vomitus provocari poteſt; ſin vero hic tali ratione non procedat, juſcula pingviora, nec non ipſum ℞ Amygd. d., in ſubſidium vocanda & exhibenda ſunt, quibus itidem nihil proficientibus denique polychreſta & hic revera præſtans *Ipecacuanha* cum aliis digeſtivis imo & cum ℞ emet. gr. ß. vel j. permixta, ſubjungenda eſt, & ſi purgatio

gatio indicetur, tutissimum remedium præbebit *Infusum laxans Mannagetæ* sequens: ℞. *Fol. Senn. elect.* ℥vj. *Rhabarb. elect.* ℥ß. *Crem.* ♀*i.* ℥vj. *Rad. Angel.* ℥iiß. *Sem. Citri* ℥ij. *Passul. min.* ℥iß. *Mac.* ℈j. *Mann. elect.* ℥iij. *Incisis affund.* ▽*æ ebullient.* ℥xiv. *reponantur per noct. mane fiat Colatura c. leni expressione, addendo Succi Limon.* ℥ß. *de quo pueris datur* ℥ß. *& adultis* ℥iij. Huic Infuso, si quis *Roob Cerasi. acid. purgans*, apud *Hæferum Hercule Medicop. 369.* legendum super addere velit, ille jucundissime pariter ac securissime infantes aliosque tenerioris constitutionis homines purgabit.

§. XXXI.

Peracto hoc, ulterius etiam subtiliores particulæ organicæ contagii, quæ forsitan inopinato in M. S. pervenerunt, ejusque mixtionem vel turbarunt saltem, vel plane destruxerunt & corruptionem fermentativam introduxerunt, per consueta & proxima loca excretoria, poros nimirum cutaneos, eliminentur, quo insimul etiam *secundæ indicationi curatoriæ* satisfiat; Pro hac autem impetranda regimen leniter diapnoicum præprimis est servandum, cavendo tamen, ne in principio & in contagio mitiore & benigniore, positivus magis *sudor*, loco temperatioris & lenioris *udoris*, qui hoc scopo optimus semper est, provocetur, & quidem per remedia *Alexipharmaca* temperatiora, v. g. Essentias Radic. Vincetox., Cariophyllat., Carlin. Valer., cum Scordii Essent. aut ♏tibus acidis mineralibus, v. g. ♏tu ♀i rectif. ⦶i philos., ⦶i dulc., Clyss. ♃ii. &c. combinandas & maritandas, & bis de die â gtt. xxx. ad ʒo. exhibendas. Quo scopo etiam conducunt *blandiora diaphoretica*, & quidem magis terrea & fixa, v. g. ♃ diaphor. C. C. phil. ppt., cum absorbentibus, ⦶sis, ⊖nis fixis, ut sunt Cryst. ⦶i aut ⊖is commun. Lap. prunell., & elegantissimum pariter ac utilissimum ⊖ Acetosellæ, &c. remixta, & vel in pulveribus vel in potionibus cum ▽is diapnoicis paratis, insimulque levius acidulatis, circa noctem, repetitis vicibus offerenda. Neque omittenda sunt alia etiam composita, pariter hoc scopo maxime proficua,

cua, ut ſunt Pulvis Bezoard. Sennert., pulvis Pannon. ruber, MRa ſimplex, parum, vel plane non camphorata, TRæ bezoardicæ Michaelis & Wedelii, maxime cum ♏ ☉i ♀eo-volatili, aut phlegmate ejus aliquoties ſuper ♏tum cohobato, magnaque virtute putredinem arcendi & enormes principii vitalis commotiones ſedandi, prædito, paratæ, & ſub ſimili cautela propinandæ, TRa Corall. genuina c. ♏tu Cord. Cervi, & omnia ex Citro parata, quæ ſimiliter non contemnendum hoc ſcopo exhibebunt effectum, qualem etiam ſequens MRa, ſæpius jam jam experta, præſtabit: ℞. *MRæ ſimpl. legit. parat. ʒjß. Liqu. C. C. ſuccin. ʒj. Elix. præcip. Clauderi* ʒß. *M. D. ad Vitr S.* 40. Tropfen auf einmahl zunehmen mit *Thee* oder ▽*a C. C. citrata.*

§. XXXII.

Tertiam denique quod attinet *indicationem*, illa præprimis conjunctum rhythmum febrilem concernit, qui itidem bene obſervandus eſt, ne quicquam contra illum committatur & ipſe quocunque modo pervertatur. Pro eo vero conſervando inſervit præprimis continentia tranquillior ipſorum ægrotantium, blandiorem diapnoen maxime promovens & inducens, nec non conducunt antea recenſita temperantia, ☉ſa cum cinnabarinis & pro ratione ſymptomatum, cum bezoardicis terreſtribus remixta, & anteà citatæ Eſſentiæ blandiores Alexipharmacæ, in ſpecie vero MRa ſimplex & TRæ bezoardicæ, magis acidulatæ quam camphoratæ, ſub quorum uſu & divinæ gratiæ auxilio facile quoque febriles ejusmodi motus ſopiri & temperari poterunt: De ipſis enim febribus acutis atque malignis, ex contagio prognatis, illarumque in ſpecie ſymptomatibus, heic loci non agimus, & propterea therapevtica earum tractatio, quam inſuper omnes Practicorum libri fuſius continent, inpræſentiarum â nobis deſiderari haud poteſt.

§. XXXIII.

Pauca adhuc de V. Sne ſuperaddenda reſtant, quæ in ſtatu curatorio eapropter neceſſaria haud videtur, quod conta-

contagium in ſe & formaliter ſpectatum ſangvinis misſionem non indicat. Quod ſi vero febris aut malignitas, aut putredo conjungantur, aut ob neglectam prophylaxin, inſignis plethora adſit, diligenter perpendendum eſt, utrum febris omnis malignitatis ſit expers, an minimum, malignitatem ſuperet, aut malignitas febrim, quod quidem ex ſignis pathognomonicis, cuique rerum Medicarum gnaro per quam facile patebit; utrum putredo major an minor exiſtat, quod ex pulſu magis minusve undoſo colligendum, cujus notitia ex plethoricis optime comparatur; utrum plethora urgeat & turgeat, an minime. Quibus præſuppoſitis, conſenſu Clariſſimorum Virorum adjutus, dico, malignitatis abſentiam aut orgaſmi febrilis exceſſum V. Snem admittere, putredinem minorem ſangvinis emisſionem largiorem; majorem, parciorem concedere, atque ſic etiam de plethora magis minusve urgente: Sed hac ſimul obſervatâ cautelâ, ut, quicquid faciendum, id ſemper fiat in principio. Cæterum negare non poſſum, in morbis contagioſis *cucurbitulas ſcarificatas* eſſe pluris æſtimandas, quippe quibus fluidorum corporis motus unacum concepto contagio, â centro ambitum verſus magis promovetur, ex quo, variis in locis cute incisâ, ſeminium contagioſum, in lentore tenui halituoſo conſiſtens aliquantisper expirare poteſt, ejusque vis â regiâ vitalitatis avocari, ita tamen hæc operatio chirurgica inſtituatur, ut in partibus corporis remotisſimis, femoribus, ſuris & pedibus ſcarificatio fiat & cucurbitulæ affigantur.

TANTUM.

S. D. G.

):(o):(